

Letter 592: [January? 1536, Strasbourg], Capito and the Strasbourg Preachers to the Reader

This letter was printed as the prefatory letter to Stephen Gardiner, *De vera obedientia oratio* (Strasbourg, 1536), ff. A2r–[A6r].

Pio lectori s. d.

Nacti nuper orationem, de vera obedientia Reverendi Patris Stephani episcopi Wintoniensis, committere non potuimus, quin eam tibi communicarem, sic docet in hac verus hic episcopus non minus solide et religiose, quam erudite et eleganter, veram obedientiam esse sequi in omnibus verbum Domini, et hanc Deo in principibus et magistratibus, qui gladium gestant, primam praestandam. Horum quoque munus esse, se Deos, patres et pastores exhibere iis, quos illorum fidei commisit Deus, cuius omnes per omnia sumus. Et id eo potissimum, quod illos veram doceri religionem et in omnibus ad Dei placita institui pro virili sua curent, vera se nimirum ecclesiarum post Christum capita praestantes. Cum episcoporum partes sint, gregem Domini sacra evangelii dispensatione pascere, vitaeque exemplo ad Christum in omnibus dirigere et hoc principibus iuxta Dei verbum parendo, non imperando. Inter quos is demum vere primatum obtinet, qui fide et sedulitate in hoc sacro munere alios antecellit. Hic denique videbis mirum et iucundum sane artificem, in detegendo exitiosissimo illo fuco, quem Romani pontifices adeo diu iam faciunt toti prope occidenti, se penes esse regni coelestis et terreni gubernacula, se ut primos in terris Christi vicarios habere summam et absolutam potestatem in ecclesias et principes illarum universos.

O vero memorandam Dei benignitatem in serenissimum hunc regem, omneque regnum Britanniae, cui tales dedit episcopos. Nam non hunc solum habet Anglia, qui cum vera pietate, eruditionem certam et vere episcopalem pro grege Dominico sollicitudinem coniunxit. Est illi et Thomas Cranmerus, archiepiscopus Cantuariensis, totius Anglicanae ecclesiae primas, vir sanctimonia vitae, doctrina, constantia et sedulitate in administratione ecclesiae eximia. Vidimus et ipsi hic et allocuti sumus, idque non vulgari cum fructu pietatis Reverendum Patrem Edoardum Foxeum, episcopum Herenfordensem, serenissimi Regis Britanniae, ad eos Germaniae principes et republicas legatum, qui instaurandis iuxta verbum Domini ecclesiis student, virum profecto multis nominibus amabilem et suspiciendum. Tanta praeditus est modestia, comitate, doctrina, iudicii acrimonia, et quod vere episcopale est, in regnum Christi ardore praecipuo. Nec dissimilis huic est, collega eius D. Nicolaus Haetaeus, archidiaconus Eboracensis. Qui Angliam habent cognitam, ii praedicant et alios non paucos hisce virtutibus ornatos, quos pientissimus rex ecclesiis suis praefecit, praestans scilicet id, quod ei Dominus iniunxit, pastorem et patrem populi sui, quo videas, illum non impia dominandi libidine, aut impatientia iusti et sancti imperii inductum, ut imperium Romano episcopo in ecclesia Anglica lege curiata, omnibus scilicet ordinibus suffragantibus, et legem hanc scientibus abrogarit.

Agnovit quod res est, suo periculo ecclesiam Christi a pseudoepiscopis vastari, et impium esse commentum, illos principum animadversioni esse exemptos. Omnem siquidem animam Deus potestatibus supremis, quae gladium gestant, subiecit, hoc est, ut D. Chrysostomus hunc locum enarrat, non solum saeculares quos vocant, sed sacerdotes etiam et monachos, immo addit, etsi apostolus sis, etsi evangelista, etsi propheta, aut quisquam alius, nec enim evertit pietatem subiectio. Nec dixit apostolus (addit) simpliciter, omnis anima obediat, sed subiecta sit. Haec ille. Sacerdotes cunctis quidem mortalibus praepositi sunt administratione verbi Dei, omnes enim verbo Dei parere debent, at quia nec doctrina, nec vita semper id praestant, quod est in eorum officio, voluit Deus omnibus saeculis esse eos sub iurisdictione et coercitione principum et

magistratum, qui gladii potestate funguntur. Desunt et principes pro dolor plus nimio muneri suo, verum quoniam multitudo principum mala, voluit Deus hos suo iudicio relinqui, esseque cunctis mortalibus sacrosantos.

Moveat vero nos praeclarum hoc et amplissimum Dei donum in ecclesiam Anglicanam, quod eius principi talem mentem inspiravit, ut eundem ardentius iam et nostris principibus oremus, quo et illi tandem inducant animum, quod gerunt munus et rite cognoscere, et digne obire. In primis vero ut a gubernaculis ecclesiae removeant eos, qui in ecclesia vere non sunt, utpote qui palam impie et vivunt et docent, cum quibus apostolus vetat cibum sumere, quod sint adulteri, scortatores, idololatrae, raptores, ebrii et aliis summis flagitiis et sceleribus contaminati, quorum denique si sacris communices, ipsae te pontificum leges sacra communione excludunt. Et praeficiant ecclesiis quales apostolus et omnes piorum principum leges, tum sanctorum pontificum canones requirunt, qui Christo cum ipsi credant et vivant, tum praedicando idonei sint et intenti.

Hodie namque quotumquemque episcopi nomine et loco habes, qui quid episcopi munus sit unquam serio quaesierit cognoscere, ne dum implere. In hoc potius totis viribus incumbunt, ut evangelium Domini Iesu Christi modis omnibus oppugnent, et suis nephariam illam licentiam, impia doctrina et vita flagitiosa omnem religionem vitaeque sanctimoniam avertendi et prorsus extinguendi tueantur. In deligendis pastoribus gregis dominici id potissimum requirunt, ut sint in doctrinam puram evangelii, illi vocant Lutheranam, maxime maledici, caeterum nihil pensi habent, quid sciant, aut quid vivant, excepto, ne habeant uxores legitimo connubio sibi coniunctas. Nam si quis κοιλιολάτρης ad eos e castris evangelii transfugiat, qui uxorem legitimam duxit, eam ipsi relinquunt, tantum ne habeat loco honestae coniugis. Ordinem dicunt non ferre, ut quis sanctithori maritus sit, meretricium vero cubile, et graviora pro ridiculo habent. Sic observant canonem illum concilii Neocaesariensis. Presbyter si uxorem duxerit ab ordine illum deponi debere, quod si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abiici, et ad poenitentiam inter laicos redigi oportet. Quos leges Dei et sanctorum principum nullo modo ferunt in ecclesia, incestos, adulteros et scortatores, hos nostri episcopi scientes et prudentes ecclesiis praeficiunt. At si quis suae fragilitatis conscius propter vitandam fornicationem, iuxta praeceptum Dei per apostolum expositum, 2 Corint. 7, uxorem ducat, et meditetur unius uxoris vir absque crimine vivere, qualem episcopum requirit lex Dei, is in sacro ministerio tolerari non potest. At conculcare legem Dei, propter hominum traditiones, quid est, si hoc non est? Interim autem dum perditos adeo et deploratos homines episcopi nostri sacro muneri praeficiunt, in hac luce veritatis evangelicae ubique potentissime effulgentis, nec admittunt, qui sanam Christi doctrinam dissipato nimium et exitiose erranti gregi Christi administrarent, soluuntur passim homines religione, intercidit omnis respectus honestatis, profligatur cunctus pudor, ruitur in universa scelera et flagitia furore summo.

Istuc autem quid nobis adferre possit quam certum et sempiternum exitium, idque perbrevis? Nec enim potest Deus ferre suam tanto furore oppugnari misericordiam, quam nobis hoc saeculo exhibet tam splendide et magnifice. Vere itaque orandus Deus est indesinenter et precibus flagrantissimis, ut aperiatur principibus nostris oculos, donet eos agnoscere quo sint ab ipso loco constituti, praestent veros pastores, patres, et Deos populo suo. Contemnant tandem ementitam istam pseudoecclesiasticorum immunitatem et in omnes potestatem, quam illi aliquot principibus partim superstitione, partim vi oppressis extorserunt. Sequantur potius verbum Dei et exempla pientiss. principum Mose, Iehosua, piorum iudicum et regum populi veteris, tum Constantini, Theodosii et aliorum qui in Christiano quoque populo, legibus quae adhuc nobis extant, et imperio in omnes episcopos et totum ecclesiasticum ordinem, in primis curarunt, ut

religio sarta tecta esset. Nemo potuit potestatem concedere ecclesiam Dei evertendi et quam immunitatem pii principes sanctis olim episcopis donarunt, ea tam nihil pertinet ad plerosque, qui hodie episcoporum titulos sibi vendicant<sup>1</sup>, quam nihil ipsi cum sanctis illis patribus habent commune. Quamque pii principes ordini ecclesiastico contulerunt immunitatem, eam, nullis unquam episcopis eo valere voluerunt, ut sua essent exempti iurisdictione. Id quod aperto apertius testantur sacrae leges, quae de episcopis et ecclesiasticis rebus extant in Codice, et Novellis Iustiniani. Vel una illa de his rebus constitutio summaria 123 abunde docet, sed cum multis aliis, ut et religiosi principes, curam religionis sibi in primis competere iudicarint, suaeque animadversioni subiectos habuerint, ordinem ecclesiasticum universum. A posterioribus principibus, qui nomine potius quam re ipsa imperium Romanum tenuerunt, dolo et vi istam licentiam extorserunt Romani pontifices.

Vera sacerdotum libertas et immunitas est, verbum Domini libere et intrepide, sermone et facto praedicare omni carni, summis regibus aequae atque infimis ex plebe. Ut impune doceant impie et vivant scelerate, tyrannis est, non libertas aut immunitas ecclesiae. Quam si pseudoepiscopis nostris ulla potest principum iurisiurandi religio confirmare, est iusiurandum vinculum impietatis extremae. Et si potuerunt abiurare principes potestatem in istos qui rei publicae Christianae tantum inferunt exitium, abiurare potest pater curam et defensionem filiorum, maritus uxoris, imperator exercitus, gubernator navis et eorum quos navi vehit. O vero gravissimam in nos iram Dei, putare principibus et magistratibus nequas esse rei publicae Christianae summas avertere pestes, aut ullis hominibus derasum verticem et praescriptis verbis factam unctionem, huc valere, ut soli impune pietatem omnem profligent, et invicem confessam invehant et tueantur idololatriam, vitaeque perversitatem incomparabilem, idque freti potestate et opibus ecclesiae, patrimonio crucifixi. Vere igitur maxima instantia orandus Deus, ut donet nobis, qui plane sumus, ut oves dispersae et absque pastore, principes secundum cor suum, qui nos gregem suum et opera manuum suarum pascant, regantque in iudicio et iustitia, qui curent ante omnia doctrinae et ecclesiasticae administrationis synceritatem, tum et vitam reliquam omnem, quo tandem vere populus Dei simus, liberatique ab omnibus internis et externis hostibus, serviamus ipsi Domino et servatori nostro, in sanctitate et iustitia, coram ipso omnibus diebus vitae nostrae. Quam foelicitatem regno Christi propriam esse Spiritus Sanctus in D. Zacharia et omnibus piis vatibus testatus est.

Interim fruire, pie lector, Spiritu et studio hoc vere episcopali, quae tibi ista Wintonensis oratio praeclare exhibet. Disce hinc quae sit vera obedientia, omnium ordinum in ecclesia Christi, oraque Dominum ut similes doctores obedientiae ubique plurimos excitet, incrementumque doctrinae eorum eiusmodi largiatur, quo illa ubique obtineat, et coeamus tandem, vereque uniamur, et omnes foeliciter ad omnem sanctimoniam et pietatem proficiamus, sub uno capite et rege atque episcopo nostro supremo, domino nostro Iesu Christo, quem Dominum confiteri debet omnis lingua. Ipsi sit gloria in saecula. Vale.

V. F. Capito,

C. Hedio,

M. Bucerus et caeteri ecclesiae Argentoratenses.

---

<sup>1</sup> Corr ex venditant.